

π k  
3884





B. M. II, 301.

N. 58, 25.



B. C. D.  
DISSERTATIO INAUGURALIS  
DE

CRIMINE FRACTÆ  
PACIS DOMESTICÆ  
INPRIMIS  
DE

HEIMSVCHA  
GERMANORVM,

QVAM

Divina Clementia Annuente,

Decreto & Authoritate

NOBILISSIMI ET AMPLISSIMI ORDINIS  
JURIS-CONSULTORUM

IN ALMA ARGENTORATENSIVM  
UNIVERSITATE

PRO LICENTIA

*Summos in Utroque Jure Honores & Privilegia*

Doctoralia

*rite consequendi*


A. d. IV. Martij, M DCC XXVII.

SOLENNITER EXAMINANDAM PROPONIT

PHILIPPUS JACOBUS BECHTOLD,  
ARGENTORATENSIS.

ARGENTORATI,

Literis GEORG. ADAMI PIESCKERI, Univerf. Typogr.




25.



DEO,  
PATRIÆ  
PARENTI  
SACRVM.






## PROOEMIUM.



*Um iis, qui in studio juridico  
versantur, solenne sit, ut, si  
Honores, quos vocant Do-  
ctorales, capessere volunt,  
prius vires ingenii exercita-  
tione aliqua exhibeant, ego,  
post exantlata feliciter Utriusque Juris exa-  
mina, si eosdem consequi velim, cum & mihi  
incumbat vestigiis aliorum insistere, atque spe-  
cimen quoddam more consueto disquisitioni  
publicæ subdicere, operæ pretium me facturum  
judicavi, si materiam hancce dignissimam  
& maxime necessariam aliquantisper illu-  
strandam*



*strandam susciperem, & in Dissertatione  
presenti Inaugurali, Fractæ Pacis Do-  
mesticæ crimen, observato semper Jure  
Statutario Argentoratensi tanquam patrio,  
quibusdam capitibus inclusum exhiberem.  
Multa quidem sunt quæ superaddi potuissent,  
sed cum potius Dissertationem & exercitium,  
quam tractatum conscribere, atque in potio-  
ribus acquiescere maluerim, eo lubentius  
opus nunc aggredior, quo certius est, Te  
(Benevole Lector) si quæ dicta sunt ju-  
veniliter, benigne esse  
accepturum.*



*B. C. D.*



B. C. D.

CAP. I.

*Definitionem nominis &  
rei exhibens.*

THES. I.



Domum, a priscis usque temporibus, tutissimum cuique refugium & receptaculum fuisse, ipsa loquitur antiquitas. Gentem enim antiquissimam Græcam, sanctitate & religione quadam munitas credidisse domus, probat Xenophontis locus. (a) Romanos quoque hanc domuum sanctitatem agnovisse, videre licet ex eleganti loco Ciceronis (b) dicentis: Quid est sanctius, quid omni religione munitius, quam domus uniuscujusque civium? hic aræ sunt, hic foci, hic Dii Penates, hic sacra, religiones, ceremoniæ continentur: hoc perfugium est ita sanctum omnibus, ut inde abripi neminem fas sit. Ad jus Civile Romanum si oculos nostros converterimus, id inprimis circa domuum tutelam statutum fuisse deprehendemus, ut, licet quis de domo sua in jus vocari, ac aliunde duci etiam obtorto collo ad judicem potuerit, attamen extrahere sive ducere inde aliquem prohibitum fuerit. Quod ipsum Cicero confirmat, (c)

A 3

inquiens:

(a) *Lib 7. παιδ. ἐδὲ ὁσιώτερον χωρίον ἐν ἀνδράποισι, ἐδὲ ἡδονῆς, ἐδὲ οἰκειώτερον ἐσίν, ἐδὲ οἴκῃ ἰδύε.*

(b) *In Orat. pro domo sua Cap. 41.*

(c) *In Orat. in Vatinnium.*

inquiens : Idemque tu cum his atque hujusmodi consiliis ac facinoribus , nomine C. Cæsaris , clementissimi ac optimi viri , scelere vero atque audacia tua , M. Bibulum foro , curia , templis , locis Publicis omnibus expulisses , inclusum domi contineres , cumque non majestate imperii , non jure legum , sed januæ præsidio , & parietum custodiis consulis vita tegetetur , miserisne viatorem , qui M. Bibulum domo vi extraheret , ut quod in privatis semper est observatum , id te Tribuno plebis consuli domus exilium esse non posset ? His adstipulatur Gajus leg. 18. π. de in Jus vocando , dicens. ( d ) Plerique putaverunt , nullum de domo sua in jus vocari licere : quia domus tutissimum cuique refugium atque receptaculum sit : eumque , qui inde in jus vocaret , vim inferre videri. Si tamen reus aditum ad se præstet , aut ex publico conspiciatur , Julianus , Paulo teste ( e ) ait , recte in jus vocari eum , ( f ) id est , ei diem dici , de domo tamen sua extrahi neminem debere , idem Paulus eodem libro monet. ( g ) Huc facit illud Quintiliani. ( h ) Ex domo in jus educere ne liceat : tabernulis eduxit.

## THES. II.

Romanorum vestigia ingressi Galli , Angli , Itali , Germani aliique Europæi , qui pariter saluberrimas hæc leges confirmare , ac jus illud antiquissimum iterum quasi

( d ) *Conf. Lex 1. π. de Sen. Conf. Silan.*

*Lex 19. 20. & 21. π. de in Jus Vocando.*

*Lex 4. π. de damno infecto.*

*Lex. 1. C. de Offic. div. Judicium.*

*Lex 103. de Reg. Juris,*

( e ) *Lib. 1. ad Edictum.*

( f ) *Vid. Lex 19. π. de in jus vocando.*

( g ) *Vid. Lex 21. h. t.*

( h ) *Lib. 7. Inst. Orat. c. 8.*



quasi restituere non minus æquum esse, quam summe necessarium existimarunt. Hinc denuo per expressa statuta plerorumque locorum, & pene totius orbis Europæi jus hocce eo reductum esse videmus, ut sicut olim, ita & hodie adhuc domus singulari quadam sanctitate munita esse credatur. Non dicam jam de plurimis ac præcipuis Gallorum, Anglorum, Itolorum, aliarumque Rerum publicarum ac civitatum legibus ac statutis, sed potius ad rem ipsam me accingam, ea quæ circa crimen hocce, speciali nomine *Heimsuche* a Germanis insignitum, statuta fuerint, consideraturus.

### THES. III.

Cum vero originalis causa semper sit attendenda, atque nominum indagatio cordatis Jctis non modo non indigna, sed vel maxime propria ac necessaria (i) nemo mihi opinor, vitio vertet, si, priusquam rem ipsam aggredior, pauca quædam ad vocabuli *Heimsuche* plenioram notitiam præmisero.

### THES. IV.

Vocabulum *Heimsuche* unde originem ducat, operose inquirendum non est, cum constet, illud ex *Heim* & *suchen* id est quærere, persequi, compositum esse; quid vero *Heim* significet, indagandum est.

### THES. V.

Wehnerus in Observationibus Practicis dicit, *Heim* idem esse ac circulum, sepimentum, Pomærium, de qua re ita loquitur: Verbum *Heim* (ut Saxheim in Bavaria) sumitur pro Saxonice gentis, quæ illuc olim migra-

(i) Vid. Jac. Cuj. l. 24. obs. 39. in fin. & in Comment. ad l. 125. §. de verbor. signif.

migravit, Colonia, pomœriis suis circumscripta, denotatque circulum vel sepimentum, quo pagi sive territorii cujuspiam limites includuntur. At quantum a communi vocabuli hujus natura recedat, illorum, qui origines rerum paulo accuratius evolvere solent, judicio relinquo. Ne vero alios reprehendendo ipse censerim merear, fingam, Wehnerum quidem bene originem vocis *Saxheim* expressisse, in eo tamen peccasse mihi videtur, quod, dum originem generalem vocabuli *Heim* tradere voluerit, imo debuerit, specialem derivationem in medium attulerit.

### THES. VI.

Besoldus in Thesauro Practico credit, *Heim* denotare Magum seu domicilium, sedem atque stationem Romanorum peropportunam & assiduam; de quo ita differit: *Heim*, Magum est domicilium, sedes ac statio Romanorum peropportuna & assidua. Nam quod in Germanicis (pergit vir Consultiff.) multis hodie est *Heim*, id olim videtur Magum fuisse dictum. Hinc Neomagum, quasi *Neuheim* oder *Neuhaus*. Verum, quamvis vir Consult. veræ significationi vocis *Heim*, propius accedat, attamen in eo labitur, quod  $\tau\delta$  *Heim*, pro sede ac statione Romanorum opportuna & assidua sumat, quasi hisce originem deberet.

### THES. VII.

Omissis igitur tam his quam aliorum sententiis, rectius Consult. Dn. Schilteri (k) sententiam magis receptam magisque probatam assumo, atque *Heim*, Domum, patriam significare, cum ipso statuo.

### THES. VIII.

(k) Vid. in Gloss. h. v. Confer. quoque Diecmann. in specim. Gloss. Rh. M. p. 31.

THESES. VIII.

Gothis, notante Vereliv. (1) *Haim* idem est ac domus, villa, prædium, patria, ager, fundus & possessio quævis a possessore inhabitata.

THESES. IX.

Anglo Saxonibus *Ham* denotat domum, monasterium, prædium, villam, urbem & quemcunque locum ad inhabitationem & mansionem idoneum, notante Somnero in Dictionario Anglo Saxonico: unde nomina locorum Anglica: Buckingham, Nottingham Durham &c. (m)

THESES. X.

In Jure Statutario Soloduren. legitur: (n) *Da man offermalen getrungen wird biderlent von Haus und Heim* zu treiben oder sonst unmenschlichen kosten anzuwenden. (o) Unde *Heimot*, patria, *Heimescher*, Domesticus. (p) Item *Heimen*, quod idem ac in domum suam recipere. (q)

THESES. XI.

Non uno autem eodemque nomine hoc crimen appellatur; Henr. Spelmannus (r) & du Fresne in  

B	Gloss.
---	--------

(1) *In Ind. Goth. h. v.*

(m) *Conf. Palthen. ad Germ. vers. Paraphras. Evang. Tatiani. pag. 322.*

(n) *Pag. 195.*

(o) *Conf. Stade in Expl. Bibl. Voc. Germ. pag. 309.*

(p) *Twinger in vocab. Germ. Lat. & Vocab. Ms. Anon.*

(q) *Vid. Excerpta Chron. Ms. Thuring. P. II. pag. 271. ibi. Wer auch denselben huset oder heimet, oder ihm einigerley hülffe thut &c.*

(r) *In Gloss. pag. 274.*

Gloss. Latino. Barb. (s) id vocant *Hamsfare*, *Haimesuckin*, item *Hamsfoca*, *Hamsfocna*, & *Hamesfoken*, ortumque trahere credunt, ab *Ham*, quod Anglo Saxonibus domum, habitationem, & *Socne*, quod libertatem, immunitatem denotat, quasi habitaculi privilegium, ita ut qui id effringit *Hamsfocnam* facere videatur. Quam tamen derivationem quoad vocem *Socne* meam non facerem, praesertim cum vel ex sola Batavorum lingua probari possit, vocem *Socne* vel *Soken* non libertatem sed nostrum *suchen* denotare.

## THES. XII.

Ceterum notandum affine crimen, quod Spelmannus in Glossario (t) vocabulo *Herireita*, ex *Heer* exercitu, & *Reita* agmine, caterva militari composito, exprimit, quasi idem sit, ac invasio per catervam militarem facta. Verba ejus ita se habent: *Heer* (inquit Lindenbrogius) exercitus; *Reita*, equitatura. Recte: sed ego hic potius, *Reita* duxissem a Saxon. *RYT*, id est, agmen, caterva: nobis hodie *Riot* & *Rout*. Sic ut *Herireita* idem sit, quod caterva militaris: nec tantum equestris, (ut Lindenbrogio visum,) sed etiam pedestris, ut ipsa lex innuit, Clypei enim & sagittae (de quibus hic mentio) proprie non sunt equitum arma, sed peditum. Equites enim scutis instruuntur, si genuinus verborum usus apud Grammaticastros expectendus sit. Sed vocem *Herireita* crimen denotare, falsum est; Sane ex inspectione legis, quam Spelmannus allegat, apparet, sermonem non esse de crimine aliquo *Herireita* dicto, sed de certa supellectile militari, quae, si quis ea cinctus fuerat, *Herireita* vocabatur. Ita enim

(s) Pag. 696.

(t) Pag. 289.

enim lex sonat: (u) Si quis liberum hostili manu cinxerit, quod Herireita dicunt, id est cum 42. Clypeis, & sagittam in curtem projecerit, aut quodcunque telorum genus, cum 40. sol. componat: Duci vero nihilominus. Si autem minus fuerint scuta, verumtamen ita per vim injuste cinxerit, quod Heimzuht vocant, cum 12. sol. componat. Quod ipsum etiam Eccardus in Annotationibus ad leges Ripuariorum (v) affirmat, ubi dicit: *Hari* est Heer, exercitus; & *raida* idem ac *ræthe*, vel quod usitatus, *geræthe*, utensile, supellex. Est ergo *Hariraida* supellex militaris.

### THES. XIII.

Huc pertinent loquendi formulæ in legibus & statutis Germanorum occurrentes: quales sunt, *einen daheime suchen*; (w) *In des andern Hus gan oder in sinen Hoff, und ihn oder sin gesinde ubel handeln.* (x) *Den andern heimsuchen.* (y) *Eine heimsuche bessern.* (z) Hic obiter dicendum

B 2

dum

- 
- (u) Vid. Lindenbrog. in Cod. leg. Antiq. pag. m. 411.
  - (v) pag. 225.
  - (w) Vid. Jus statutarium Argentoratense a Schiltero collectum. lib. 2. c. 13. p. 80. ib. *Wer einen unschuldigen Mann daheime suchet &c.*
  - (x) Idem lib. 2. c. 5. p. m. 78. ib. *Wer in des andern Hus gar oder in sinen Hoff, und den Wirt oder sin gesinde ubile handelt.*
  - (y) Idem lib. 3. c. 189. p. m. 291. ib. *Wer den andern heimsuchet &c.*
  - (z) Idem lib. 3. c. 190. p. 292. ib. *Mag sich aber der Wirt nit eruveren, so bessert jener, der ime sin Wib, sin Kinde oder Gesinde ubel gehandelt hatt mit Worten oder mit Wercken ein Heimsuche.*



dum, quod reus hujus criminis etiam ipse vocetur der Heimsuche. (a)

### T H E S.   X I V.

Circa Homonymiam vocabuli *Heimsuche* bene adhuc observandum, quod illud præterea duplicem significationem recipiat, atque vel visitationem amicam, wann ein Freund den andern heimsucht / vel poenalem, wann Gott einen heimsucht / denotet.

### T H E S.   X V.

Definitione nominis absoluta, methodus exigit, ut definitionem rei subiiciam. Est autem *Heimsucha* nihil aliud quam Domus vel Mansionis invasio hostilis, vel cum vel sine armis, verbis vel factis, animo inhabitantibus agre faciendi suscepta.

### T H E S.   X V I.

Hic exoritur quæstio, an Persecutio in ædibus alienis ob rem furtivam, vulgo die *Haussuchung* / sit species *Heimsuchæ*? Quod ipsum, ob magnam quæ inter illas intercedit differentiam, negandum puto. Primo enim Inquisitio in ædibus alienis rite se habens, non vi aut propria fit autoritate, sed ipso judicis consensu atque permissione; *Heimsucha* vero vi ac proprio motu. 2. Inquisitio præsupponit delictum antea commissum, *Heimsucha* vero nullum. 3. Inquirens malitia atque omni dolo caret, *Heimsuchæ* vero reus non caret. 4. Ille

(a) *Vid. Jus stat. Arg. In der kleinen Rathordnung, art. von der Heimsuche. ib. Wer in eines andern haus gieng, und ubel handelt, vvirt er geschlagen, man bessert nichts, thut aber der heimsuche ein that darnach vvirt er gericht, als vor steht.*

4. Ille domum ingreditur ad rem suam propriam recuperandam, hic vero ad rem alienam auferendam. 5. Inquisitio pro objecto habet rem & quidem tantum furtivam, Heimsucha vero non tantum res omnes, sed & personas. 6. Illa non est crimen, adeoque non punibile, bene tamen hoc, adeoque punibile.

THES. XVII.

Sed quid si quis rem furto sibi ablatam sine ulla iudicis permissione propria autoritate, imo cum januæ effractione, in alienis ædibus quæreret, an Criminis Heimsuchæ reus erit? Hoc ipsum negandum esse censeo; Quamvis enim hoc factum jure sit improbatum, non tamen statim dici potest, illud esse crimen Heimsuchæ, cum ad hoc ipsum requiratur principaliter intentio domini vel dominam domus vel ab ipsis receptos lædendi.

CAP. II.

*Objectum considerans.*

THES. I.

**O**bjectum hujus criminis varium est; versatur enim tam circa res, quam circa personas; hæc commode distingui possunt in liberos & servos, & considerari queunt quatenus præsumunt familiæ, ut pater & mater familias, vel subsunt, ut filii & filia familias, servi & ancillæ. (b)

B 3

THES. II.

(b) *Vid. Jus stat. Arg. lib. 3. c. 190. p. m. 292. Wer in des andern huse gat oder in sinen hoff, do er mit huse inne gesessen ist, und den Wurt oder sin Wib oder sine Kinde oder gesinde ubel handelt mit Worten oder mit Wercken &c.*



THESES. II.

Non incommode hic quæri potest, annon etiam contra conductorem ædium Heimsucha committi possit? Quod ipsum ob expressum Juris textum (c) affirmandum puto. Hoc & de eo qui gratis habitat aut hospitio receptus est, recte asseritur, quod comprobatur Gloss. Juris Saxon. (d) dicens: *Der Mieter genüßet auch des Friedens in seinen vier Pfälen.* Excipe tamen eum cui habitatio gratis ad momentum concessa, cujus momentanea habitatio cum proprie habitatio dici nequeat, adeoque privilegiis domicilii non gaudeat, hinc quoque contra illum Heimsucham committi non posse, rectius existimo.

THESES. III.

Porro quæritur, an dominus seu Locator ædium fiat reus criminis Heimsuchæ, si ipse contra Conductorem in domo locata hostiliter agat? Affirmatur, ob generalem prohibitionem, ne quis in domo, sive propria sive aliena, lædatur.

THESES. IV.

Item, an contra Nautam, quem quis in navi violat, Crimen hocce comittatur? Quod æque affirmo. (e) Cum enim privilegium illud favorabile domibus concessum sit, & naves prædio urbano æquiparentur (f) favorabilia autem amplianda sint, nihil obstare video, quo minus contra Nautam quoque Heimsucha committi possit.

(c) *Vid. Lex §. 2. π. de Injur. & fam. lib.*

(d) *Lib. 2. art. 66.*

(e) *Vid. Stracha de Nautis. p. 2. n. 45.*

(f) *Teste Baldo ad l. 5. Colum. 2. C. Locat. argum. l. 1. §. 7. π. de vi & vi armata.*



possit. Quod tamen non extendendum erit, ad eum qui tanquam viator in navi existit; aliud esset, si ad annum aut longum tempus aliquod habitandi quodammodo causa cubiculum ibi conduxisset (g) quo casu non pro advena, sed pro eo, qui quodammodo domicilium ibi constituit, habendus erit.

## CAP. III.

### *Modum expendens.*

#### THES. I.

**M**odum quod attinet, notandum Crimen Heimfuchæ dupliciter committi posse, in domo, & extra vel prope domum; in domo fit verbis vel factis; (h) verbis, inhabitantem increpando; (i) factis, (k) eundem pulsando, verberando; fuste, baculo, loris, flagellis, & similibus, item ædes comburendo, (l) vulnerando, occidendo, stuprando, (m) matrem aut filiam familias & ancillas.

Extra

- 
- [g] *Vid. l. 6. §. 3. π. Naut. Caup. stab.*  
 [h] *Vid. Jus. stat. Arg. lib. 2. c. 5. p. 78. ib. Wer in des andern huz gat oder in sinen hoff und den Wirt oder sin gesinde ubile handelt mit Worten oder mit Wercken &c.*  
 [i] *Conf. nota. (h) ib. mit Worten.*  
 [k] *Confer. eadem ib. mit Wercken.*  
 [l] *Vid. Jus. stat. Arg. lib. 2. c. 14. ib. Bürnet er aber mit der Heimesuche &c.*  
 [m] *Vid. Idem. lib. 3. c. 190. p. 292. n. 15. ib. Wundet aber er den Würt, sin Wib, sin kind, sin gesinde oder steht der debeime ein glide entzovey in huse oder hofe, als vor geschrieben stot, oder tötet oder notzaget jeman darin &c.*

Extra domum vel prope eam, pulsando ad fenestras, & provocando ut inhabitans descendat. (n)

THES. II.

Hac occasione cum plurimæ adhuc sint controversiæ, quæ in medium proferri possunt, non abs re fore putavi, si earum potiores, antequam ulterius procedo, paucis perlustrandas in me susciperem.

THES. III.

Prima erit, an Cauponæ & Tabernæ publicæ in quibus vinum vel cerevisia ad potandum publice venum datur, eadem domuum sanctitate gaudeant; adeoque an contra Cauponem vel hospites aut alios ibidem comorantes Heimsucha committi possit? Negatur per expressum textum juris Statutarii inclytæ nostræ Civitatis Argentoratensis, ubi dicitur: (o) Wir heissent keine heimsuche offen taffern und huser, da offen wibe inne sitzen. Causa hujus rei sine dubio esse poterit odiosa cauponum peccatis humanis in luxu ministrantium professio, quæ cum ad animæ corporisque perniciem largius præbeat materiam, causamque multorum delictorum ab ebriis admissorum, hinc non inique bonos Magistratus eas hacce domuum sanctitate prudenter privasse credo. Quod tamen limitandum puto, nisi illatum sit in iis domicilii locis, quæ a potantium aditu haberi solent secreta. Conf. Mev. ad Jus Lubec. lib. 4. tit. 8. art. 5. quo jure ita Sancitum est: in offenen Krügen aber, ob sich wohl Schläge mit dem Würthe seinen

[n] *Vid. Idem, lib. 3. c. 189. n. 35. ib. Wir heissent heimsuche, der den andern do heime suchet mit Woffen, und an sin thüre und an sin venster stoffet, oder ime sin thüre oder venster uffstosset, und ihn mit der gethat herabe heischet &c.*

[o] *Lib. 3. c. 189. p. 291.*

seinem Weib, Gefind und habenden Gästen zutragen, so ist doch daran kein Haus-Fried verbrochen, es wäre dann das es geschehe in seiner Stuben, Schlawkammer oder Bette, daran ist auch das Leben vervvürckt. Ea quæ dicta sunt in Lupanariis quoque suo modo procedunt.

THESES. IV.

Secunda Quæstio est: An is, qui in Apotheca aut Taberna versantem invadit, Heimfucham commisisse videatur? Negatur, ob eam potissimum causam, quoniam Apothecæ aut Tabernæ non ad refugium sive tutelam sunt inventæ neque deputatæ ad habitandum principaliter vel secundario, sed ad quæstum faciendum; hinc, licet similitudinem habeant cum domo in hoc, quia constant plerumque ex fundamento, tecto, & parietibus, tamen lex, statutum aut consuetudo ad ea extendi non poterunt, quæ non sunt Domus. Dicta intellige de Apothecis & Tabernis plane ab habitatione domus separatis, quod fit si supra eas non fuerit habitatio. Sed quid dicendum erit, si Apotheca aut Taberna sub habitatione alterius sint? Resp. idem negandum, sive per has ad habitationem, sive aliunde ex publico accessus pateat.

THESES. V.

III. Quæritur: an Molendinarius, quem in molendino quis aggressus est, de Heimfucha queri possit? Affirmatur. Cum enim tale Molendinum solo & superficie constet, soloque cohæreat, adeoque recte inter ædificia computetur, ipsi quoque privilegium domibus concessum haud denegandum erit. Obstare quidem videtur principalis molendini finis, qui, cum non sit habitatio, sed molitura, ita quoque nec id eo jure frui debet.

C

debet. Sed respondetur, molendinum quantum ad molendinarium, licet non primario, tamen secundario dici posse inventum ad habitandum, adeoque idem privilegium habere. Quod ipsum tamen non ad molendina, quæ supernatant aquis, *Schiffmühlen* / neque ad ea quæ ventis agitantur, *Windmühlen* die man ohne sondere Mühe an andere Ort versetzen kan / regulariter extendi posse censeo.

### THES. VI.

IV. An qui aliquem aggreditur in ostio domus, sit reus Criminis Heimsüchæ? Negatur. Pro affirmativa facit id, quod appellatione domus contineatur ostium & alia omnia quæ sunt in ædibus & affixa, [p] maxime quando quis insultatus est intra clausuram ostii. Sed contrarium verius; quia verba legis sive statuti sint proprie accipienda, neque in odiosis extendenda, unde licet ostium sit de domo, non tamen est in domo, [q]

### THES. VII.

V. An si deprehensus ab officialibus in via publica, se manibus illorum extricavit, & in domum suam aufugit, ab iisdem extrahi possit? Affirmatur. Quia initium facti respiciendum. [r]

### THES. VIII.

VI. An quis in domo arrestari possit? Negatur. Quoniam, si domus cujuscunque immunitatem a lege habet, ut sc. nemo invitus inde extrahi vel in ea capi possit, [s] confe-

- [p] *Arg. l. 47. π. de Contr. Emat.*  
 [q] *Arg. l. 1. §. 11. π. de sum.*  
 [r] *Arg. l. 23. §. fin. π. de adult.*  
 [s] *Vid. l. 123. de R. J.*

consequens quoque erit, eundem ibi arrestari non posse. Lex enim illa quæ immunitatem hancce domibus concessit, & domum cujusque tutissimum refugium appellavit, quia favorabilis, facile quoque ampliari & extendi poterit.

THESES. IX.

VII. An debitor de fuga suspectus extrahi e domo possit? Affirmatur. [t] Ex eo, quoniam contra debitorem fugitivum, aut de fuga suspectum cessant privilegia. Potest enim adversus communes regulas, ab ipso creditore comprehendi, [u] potest capi die feriato, etiam in honorem Dei & Sanctorum introducto, [v] potest etiam iudex incompetens illum comprehendere. Quod tamen non ita simpliciter intelligendum erit, quali creditori propria autoritate debitorem suum de fuga suspectum domo extrahere & incarcerare liceret, [vv] sed tum demum hoc procederet, si creditor prius a iudice veniam petierit, [x] aut si ejus copiam statim & sine periculo fugæ habere non potuerit.

THESES. X.

VIII. An in causis privatorum civilibus aliquem invitum extrahere liceat? Negatur argumento leg. 4. §. & 18. π. de de Damno infecto; ubi agitur de Cautione & denunciatione quæ ad domum fieri debebat ex

C 2

causa

- [t] Vid. Brunnem. Comment. in π. ad l. 10. Quæ in Fraud. Cred. p. m. 505. n. 22.  
 [u] Vid. l. 10. π. §. 16. Quæ in Fraud. Creditor.  
 [v] Vid. Gloss. celebris in l. ult. C. de feriis. item Bald. c. fin. eod. tit.  
 [vv] Vid. l. 176. de R. J. π.  
 [x] Vid. l. 54. C. de Decur.

causa damni infecti. Scilicet moris erat apud Romanos, ut Prator, si vicinus, cujus ædes ruinam minabantur, vicino ruinam metuenti non caveret, alterum damni infecti nomine, in possessionem vicinarum ædium, quarum scilicet nomine non cavebatur, mitteret; modo prius denunciatio verecunda [y] ad domum facta fuerit. Hæc cum ita sint, non inique concludi poterit, quod, si hæc duæ species Cautio & Denunciatio tantum sint causæ privatorum civiles, & ob has nemo de domo extrahi poterit, etiam assertum meum firmum sit.

THES. XI.

IX. An in causis Criminalibus aliquis de domo sua extrahi possit? Olim quidem nec in his apud Romanos extrahi potuisse, probabile fit, per ea quæ habet Plutarchus in Gracchis, [z] dicens: Est hoc in eorum positum institutum, ut si quis in causa capitis arcessitus non paruerit, tubicen ad ejus januam prima luce accedens, eum evocet tubæ clangore, nec prius de eo iudices ferant iudicium. Confirmat hoc Varro, [a] inquiring: Jamque post horrendam deleti Cæsaris cladem, sonante periculis judicialium tuba, in crimen læsæ Majestatis arcessebatur Ursicinus. Sed rectius affirmatur; per ea quæ habet Accursius in Glossa ad l. 103.  $\pi$ . de R. J. qui tamen male ad id probandum advocat Novellam 134. c. 4. quæ plane nihil probat.

THES. XII.

[y] *Vid. l. 4.  $\pi$ . de Damn. inf. §. 5. Eadem hæc denunciatio ad domum in aliis quoque causis olim usurpabatur, ut ostendit. l. 1. §. 1.  $\pi$ . de agnosc. lib. 1. §. 3.  $\pi$ . quod vi aut clam. l. 3.  $\pi$ . de accus.*

[z] *Vid. Abram in Not. ad Cic. Orat. in Vatin. p. 251.*

[a] *Lib. 1. de lingua lat. pag. penult.*

THESES. XII.

X. An in causis Fiscalibus & publicis hæc ædium immunitas locum habeat? Negatur. Quod tam moribus hodiernis quam jure nostro comprobatur. Hoc ostendit l. 2. C. de Fugit. & l. 1. C. de Offic. divers. judicum. ubi matribus familias id singulare beneficium & privilegium tribuitur, ne propter debita publica seu rem tributariam de domo sua in publicum protrahantur: in cæteris ergo id obtinuisse oportet. Nec ratione hoc caret, quoniam, cum fortunas omnes nostras, corpus etiam & vitam, Reipublicæ, cui nati sumus, debeamus, bono autem publico pecunia fisci sit, quæ una belli, pacis, otii, negotii, rerum denique quocunque tempore gerendarum nervus sit, non iniquum videri debet, si debitor adversus fiscum non juvetur.

THESES. XIII.

XI. An quis ex propria vel aliena domo trahi possit ad officium publicum assumendum, ad quod officium deputatus vel assumtus fuit. Affirmatur. per leg. 31. C. de Decurionibus. Ideoque Romanus ad leg. 18. c. de in Jus voc. consultum esse existimat creditoribus, ut debitorem ad officium publicum assumi præcurent, & sic egradientem conveniant.

THESES. XIV.

XII. An in Scholis publicis quis capi possit? Negatur. Quia Scholæ in quibus Doctores profitentur, sunt veluti domus propriæ Studiosorum.

THESES. XV.

XIII. An si cum armis inventus, in domum suam aufugiat, a famulis judicis ipsum insequentibus

inde extrahi poterit? Negatur communiter a Doctõ-  
ribus ob leg. 18.  $\pi$ . de in jus vocando. Sed verius con-  
trarium videtur, præsertim cum non tantum in casibus  
ubi occultum perquirendum, aut describendum, aut  
sequestrandum est, foribus clausis, ex speciali iudicis  
commissione, aut foribus apertis, etiam sine speciali  
jussu, executoribus domum ingredi liceat, (b) sed &  
hodie in criminalibus aliquem de domo sua extrahere  
fas fit. (c)

## CAP. IV.

### *Effectum produçens.*

#### THES. I.

**O**bservatis modis quibus Crimen Heimfuchæ  
vel comamittitur, vel committi videri posset,  
meum est, ut nunc de Effectibus Heimfuchæ  
agam.

#### THES. II.

Primus est, quoad personam invasi, defensio  
impunis, licet cum læsione alterius sit conjuncta. Cum  
enim defensio sit juris naturalis, omniaque jura vim vi  
repellere permittant, (d) dubium non erit, quin inva-  
sus

[b] *Vid Ant. Faber. in Cod. suo tit. de in jus vocando. defini-  
9. n. 3. & 4. add. Mevius ad Jus. Lubec. Lib. 4. tit. 8.  
artic. 5. n. 4.*

[c] *Vid Wesenb. parat. de in jus voc.  $\pi$ . 12. Item Mynsinger.  
4. obs. 69.*

[d] *Vid. text. in l. 1. §. 27.  $\pi$ . de vi & vi arm.*



fus vi armata resistere, & se suaque tueri possit. Hinc Cicero in Orat. pro Milone eleganter scribit: Est enim hæc iudices, non scripta, sed nata lex, quam non didicimus, accepimus, legimus, verum ex natura ipsa arripuimus, hausimus, expressimus: ad quam non docti, sed facti: non instituti sed imbuti sumus, ut si vita nostra ad aliquas insidias, si in vim, in tela aut latronum, aut inimicorum incidisset, omnis honesta ratio esset expediendæ salutis. Idem lib. I. de Offic. dicit, Omni generi animantium a natura tributum esse, ut se, vitam, corpusque tueatur, declinetque ea, quæ ei nocitura videantur. Hæc tamen de defensione necessaria, quæ cum moderamine inculpatæ tutelæ fit, accipiendæ erunt, & tunc locum habebunt, si aliter evadere nequeat, nisi se defendat; deinde si in continenti & necessario, non ad vindictam defensio fiat. [e] Imo & Canonistæ eo usque in sui defensione procedunt ut scribant, Clericum sacra agere volentem, posse quoque invasorem in ecclesia impune occidere, & postea cœpta sacra perficere. [f]

### THES. III.

Secundus effectus quoad personam invasoris est pœna, quæ dupliciter considerari potest, primo in genere, quæ regulariter Heimsuchæ reis irrogari solet; secundo in specie.

### THES. IV.

Pœna in genere considerata, pro diversitate locorum, legum ac statutorum, iterum mire variat; de quibus singulis nunc dispiciendum.

### THES. V.

[e] Vid. l. 2. C. ad leg. Corn. de sicar.

[f] Vid. Hippol. in pract. crimin. §. quoniam. num 75.

THESES. V.

Juxta Jus Statutarium Argent. poena hujus criminis est relegatio ultra milliarem per 5. annos & satisfactio tum fisco, tum in vaso facienda, si redire vult reus; prout ex textu apparet, [g] ubi dicitur: Und syver ein un-schuldigen mann daheime suchet umbe die getat, als es da obenan bischeiden ist, der und sine helfere sulnt von der statt sin eine mile vunf jahr, und sulnt niemer vvider in kummen, si en habent deme gerichte und dem elegere gebessert. Porro eodem libro capite 38. [h] poena dicitur esse relegatio per annum ultra milliarem & satisfactio publica V. libb. & satisfactio privata conventionalis. Ib. Syver den andern daheime suchet, der ist ein jahr von der statt ein mile, unce das er gebessert dem gerichte und dem elegere, und git vunf pfund. Eodem modo in lib. 3. c. 189. adhuc relegatio per annum dicitur, & satisfactio privata conventionalis.

THESES. VI.

Juxta Edmundi Regis Anglo Saxonum leges, poena est confiscatio bonorum & arbitraria corporalis, etiam ad mortem usque. [i] Ib. statuit itaque Edmundus [Rex Anglo-Saxo] LL. suarum C. 6. Hamsocæ violatores rebus omnibus plectendos, & ex arbitrio Regis, vitæ aut neci adjudicandos. Porro in Canuti Regis LL. c. 52. poena V. libb. dicitur; [k] ibi. Si quis Hamsocam violaverit; jure Anglorum Regi emendet V. libris.

THESES. VII.

- [g] Vid. lib. 2. c. 16. p. 80 conf. lib. 3. c. 169. p. 285.
- [h] Conf. idem. In der kleinen Rathsordnung, art. von der Heimsuche.
- [i] Vid. Henr. Spelm. p. m. 274.
- [k] Vid. idem. p. 274.



**T H E S. VII.**

Juxta leges Bajuvariorum [1] poena erat VI. Solidor. & certo casu 3. solid. Ib. Si autem in domum per violentiam intraverit, & ibi suum nihil invenerit, cum VI. solid. componat. Nemo enim ingrediatur alienam domum per violentiam, quia hoc scandalum generat. Et postquam intraverit, & se cognoverit reum, injuste quod intrasset, det Wadium domino domus. Et si ille defuerit, mittat ipsum Wadium supra liminare, & non cogatur amplius solvere, quam 3. solid.

**T H E S. VIII.**

Moribus Saxonis, is qui domum alterius vi introisse convincitur, tanquam violator pacis privatae sive Domesticae, als ein Hausfrieden-Brecher / pro arbitrio judicis, temporali vel perpetuo exilio, etiam cum fustigatione punitur, prout ita Lipsienses & Jenenses pronunciaisse testatur Coler. decis. 115. n. 24. (m)

**T H E S. IX.**

De Jure Civili, is qui invito Domino aedes ejus intrat, conveniri potest actione injuriarum. (n) Item qui coadunatis hominibus aedes alienas vi ingreditur, tenetur de vi publica; alias vim domi inferens de vi privata tenetur, cujus poena olim erat tertiae partis bonorum confiscatio (o) hodie arbitraria pro diversitate circumstantiarum irrogari solet. (p) Imo is qui  
D
furan-

(1) Vid. Lindenbrog. in Cod. Leg. Antiq. p. m. 422.

(m) Vid. Speidel. Specul. p. m. 578. voce: Hausfriedenbrecher.

(n) Vid. leg. 5. 3. 13. & 23. τ. de Injur.

(o) Vid. l. 1. §. fin. τ. ad l. Jul. de vi privata.

(p) Vid. Carpz. in Pract. Crim. p. 1. q. 40. n. 10. p. m. 240.  
& in

furandi tantum animo domum alicujus introivit, nil tamen furatus est, tenetur de vi, aut actione injuriarum. (q)

T H E S. X.

Cum in Ordinatione Carolina nihil plane de Crimine fractæ pacis Domesticæ occurrat, adeoque nulla pœna illi præscripta sit, arbitratur Kress. ad illam (r) in hoc delicto judicem, pœnam corporis afflictivam, aut infamiæ decernere posse, pro circumstantiarum gravitate, additque rationem, quia, cum de illo jure scripto ratione pœnæ, nec in genere nec in specie aliquid definitum sit, judex aliquando pro re nata gravius animadvertendo non possit acerbior dici, cum nulla lex extet.

T H E S. XI.

Pœna in specie considerata infligitur, vel ob verbera vel incendium vel vulnerationem vel Homicidium.

T H E S. XII.

Ob verbera, juxta Jus Lubecense pœna est capitalis, seu ultimum supplicium, ut ex ipso textu conspicitur; (s) qui ita se habet: Wann einer vorsätzlich mit seinen Helffern und Helffers, Helffern in eines Bürgers Haus siele / und schläge den Wirth oder sein Weib / Gesinde / Inwohner oder Gast / und wird betroffen / der soll an seinem freyen höchsten

*Et in jurisprudence Romano Saxonice. part. 4. constit. 13. de fin. 4.*

(q) *Leg. 21. π. de furt. §. qui furti.*

(r) *In Notis ad Artic. CV. p. m. 167.*

(s) *Vid. Mevius ad Jus Lub. l. 4. Tit. 8. art. V. p. m. 75.*

höchsten gestrafft werden / mit allen denjenigen / die damit und neben ihm gewesen / und die Gewalt üben helfen.

THESES. XIII.

Ob Incendium juxta Jus Statut. Arg. poena est relegatio ultra milliaria per X annos aut satisfactio privata, si redire vult reus, ita enim sonant verba Statutis (t) Burnet er aber mit der Heimsuche, so soll er und sine Helfer zehen Jahr uzse sin ein Mile von der Statt, und sulnt niemer vvieder inkummen, si enhabent abgetan allen den Schaden der von deme Brand geschehen ist ginen den er geschehen ist, oder iren Erben. Apud Saxones olim, qui domum alterius vel noctu vel interdium suo tantum consilio volens incenderit, capite puniebatur. vid. Lindebrog. in Cod. leg. Antiq. (u) Quid apud Frisones, & Longobardos moris fuerit. (vv) vid. ibid.

THESES. XIV.

Ob vulnerationem, fractionem membri, stuprum violentum aut homicidium, juxta Jus Stat. Arg. debent rei publico drye besserunge, & laso satisfactio-nem privatam. (x) ibi. Wundet aber er den Wurt, sin Wib, sin Kind, sin Gefinde, oder sleht der deheime ein Glide enzvvvey in Huse oder Hofe, als vor gescriben stot oder tötet, oder notzoget jeman darin, der oder sine Helfer jeglicher sollent der Stett drye Besserunge tun noch den Shulden, alsdan geschehen ist, und sollent dartzu mit dem Cleger uberein kommen.

D 2.

THESES. XV.

[t] Lib. 2. c. 17. p. 80.

[u] Pag. 476.

[vv] Pag. 494. & 545.

[x] Lib. 3. c. 190. p. 292.

THESES. XV.

Moribus Saxonis si quis non solum domum vi introiverit, sed & patrem vel matrem familias etiam pulsaverit vel vulneraverit, tum capite plectitur, prout sæpe in Scabinatu Lipsiensi responsum & judicatum fuisse, refert Dan. Moller. in Comment. ad Constit. Saxon. part. 4. Constit. 46. num. 5. quod verum est, si criminaliter agitur; secus si civiliter. [y]

THESES. XVI.

Ob Homicidium Patrisfamilias juxta Leges Ripuariorum poena statuebatur triplex Weregildum, ut ex inspectione legis apparet, ita dicens: Si quis hominem in domo propria cum Hariraida interfecerit, auctor facti triplici Weregildo mulctetur, & tres priores XC. sol. culp. jud. Et quanti ei sanguinem fuderint, unusquisque Weregildo eum componat; & quancunque post auctorem sanguinis effusores, vel post tres priores fuerint, unusquisque XV. sol. mulctetur; & quicquid ibi talaverint, restituar. (z) Juxta Leges Wisigothorum, Bajuvariorum, Angliorum, Werinorum & Frisionum quid statutum fuerit, vid. apud Lindenbrog. in Cod. legum Antiq. (a) Adde leges Francorum Salicas & Ripuariorum. (b)

THESES. XVII.

- [y] Vid Schulzen. lib. 4. Instit. tit. de injur. lit. e. fol. 532.  
 [z] Vid Lindenbrog. in Cod. leg. Antiq. p. m. 464.  
 [a] Pag. 128, 422, 485. 494.  
 (b) Vid. Idem. p. 131.

THE S. XVII.

Quæritur hîc: An Iracundi & ebrîi si Heimſu-  
 cham committant, pœna hujus criminis ordinaria affici  
 poſſint? Negatur, ſi ſc. ira & ebrietas tanta ſit, ut men-  
 tis & rationis exitium induxiſſe videantur. Cum enim  
 formale omnium delictorum & criminum ſit, ut dolose  
 & malitioſe committantur, (c) adeo, ut ſi factô cuipi-  
 am, dolus verus ſive affectus aut animus delinquendi  
 non adſit, illud nec crimen verum dicendum & ha-  
 bendum ſit; hinc in illis, cum dolose & malitioſe Pa-  
 cem Domestîcam fregiſſe, conſequenter vere deliquiſſe  
 dici nequeant, pœna ordinaria ceſſabit. Idem dicendum  
 de furioſis, infantibus, mente captis, inpuberibus doli  
 nondum capacibus; non vero pubertati proximis, &  
 iis in quibus malitia ſupplet ætatem, neque de prodig-  
 ſis, qui, licet quoad contractus & bonorum alienatio-  
 nem comparentur furioſis & infantibus, in delictis ta-  
 men hæc æquiparatio ceſſat, adeoque delicti incapaces  
 non cenſentur.

THE S. XVIII.

Cauſam hujus pœnæ, non eſt ut longe quæra-  
 mus, cum conſtet, nihil opratius, nihil utilius nihil  
 conſultius Civitati & Civibus fieri poſſe, quam ſi ſecu-  
 ritas, quam maximam quilibet in domo habere debet,  
 inviolata conſervetur. Hinc veteres ubique leges uni-  
 cuique domui pacem firmiſſimam eſſe voluere; & ni-  
 hil in ea fieri ad læſionem Domini. Domus itaq; cujuſq;  
 omni fere tempore pro caſtro habita, legum vallata  
 munimine, quo pauperrimus quiſque paterfamilias, Do-  
 minus

D 3

(c) Vid. l. 23. §. 2. 7. de edil. edit. l. 16. Cod. ad l. Cornel.  
 de ſicar.

minus agnoscatur, libere imperet, secure degat, ac vim & injuriam licite propulset.

## CAP. V.

### *Affinia & Contraria tradens.*

#### THES. I.

**P**ertractatis hactenus modis & effectibus, superest, ut breviter etiam subnectam quæ ad Affinia & contraria pertinent. Inter Affinia numerari meretur Infractio pacis publicæ, *des Land Friedens* / qua quis coadunatis hominibus vi armata eaque majori, quam ut ei resisti queat, alterum dolose aggreditur; quo, cum nihil juri & legibus magis contrarium, nihil minus civile & humanum sit, eo fortius violatores puniendi Principis curæ incumbet, quo magis consulendum est his, quibus majus periculum intenditur.

#### THES. II.

Huic classi præterea inferenda videtur infractio pacis Burgensis, qua quis alterum contra pacta fraternitatis & Ganerbinatus invadebat; quod ut clarius reddatur, multum juvabit, si originem hujus rei, paucis exhibeam. Scilicet, cum ante factam & promulgatam pacem publicam, quæ *Landfried* appellatur, in Germania, itinera passim minus essent tuta & secuta, & ut nostri loquuntur, *da das Faust-Recht im schwang gien* / latronesque in arcibus apud sui generis homines, in den Raubschlössern latitarent, Nobiles, arces munitas extruxerunt, in quibus cum familiis suis & rebus pretiosioribus ab aliorum invasionibus violentis tuti essent.

Ut



Ut autem conjunctio horum eo major & constantior esset, & se suaque eo melius defendere possent, fraternitates & confederationes certis legibus contraxerunt, quas *den Burgfried* appellarunt; & qui ita confederati fuerunt, dicebantur *Ganerben*; contra has igitur leges si quis eorum peccasset, pacem *Burgensem* infregisse dicebatur.

THESES. III.

Ad contraria spectant omnes illi casus & circumstantia, quæ pacis domesticæ fractionem excludunt & cessare faciunt, quorum mentio, cum jam variis in *Thesibus* (d) facta fuerit, benev. Lector. ad eas remitto.

THESES. IV.

Ultimo loco quæritur: an Crimen hocce præscribi possit? Quod affirmo. Cum enim regulariter omnia crimina, paucis quibusdam exceptis, præscribi possint, idem quoque de hoc sentiendum esse, puto. Hæc pro instituti ratione de hac materia utili, hoc tempore dixisse sufficiant.

*DEO sit Laus, Honor,  
& Gloria.*

(d) Vid. *Thes.* 3. p. 12. *Thes.* 4. p. 13. *Thes.* 6. & 7. p. 14. *Thes.* 9. p. 15. *Thes.* 11. p. 16. *Thes.* 12. 13. & 15. p. 17.



COROLLARIA.

I.

**A**doptio Jure Justiniano revera non semper imitatur naturam.

II.

A patre adoptivo emancipatus recte iterum adoptatur.


III.

Lex. 1. Cod. de Usufr. qua dicitur, Cautio-  
nem usufructuariam a defuncto Testatore remitti non  
posse, omni ratione destituitur; & locum hic habet, l.  
20. π, de Leg.

IV.

Si lex 27. Cod. de Inoff. Test. secundum Re-  
gulas Hermenevticas examinetur atque explicetur, mi-  
hi persuadere non possum, quomodo exinde conclu-  
datur, tunc demum fratribus Germanis querelam in-  
officiosi Testamenti competere, si turpis persona ipsis  
fuerit prælata.

V.



V.

Si Sempronia testamentum ante nuptias conditum, in quo Titium sponsum suum instituerat hæredem in casu deficientium liberorum, post nuptias per iram commota dilacerat, sed in continenti pœnitentia ducta iterum declarat, hanc suam esse voluntatem, quæ in Tabulis illis expressa est, nihilominus testamentum pro rupto censeri debet.

VI.

Si, legatis Titio a Mevio centum thaleris sub hac formula: Ego Testator lego Titio centum thaleros, quos ipsi debeo, postea appareat, Mevium Titii debitorem non fuisse, quaritur; an Legatum hæc valeat? affirmatur.

VII.

Bibliotheca filio Studioso a patre donata, post hujus mortem non confertur.



E

BECHTOL

Q4 114 3884



**B**ECHTOLDE, eximie Patriæ dum  
Jura recensēs,

Ostendis Patriæ Te fore grande decus.  
Felix Argyrope es, si Natos læta fovebis.

Plures Huic studiis & probitate pares!

*Nobilissimo D.N. BECHTOLDO,  
Juris Utriusque Candidato dignissimo,  
Amico & spondæno suavissimo, ita ap-  
plaudit*

**JOHANNES GEORGIUS SCHERZIUS,**

J. U. D. ac Pandect. & Juris Publ.  
P. P. Ord.

IIII



BECHTOL

20



✓


ULB Halle

3

003 937 437







Farbkarte #13

B.I.G.

Blue

Cyan

Green

Yellow

Red


Magenta

White

3/Color

Black

C. D.  
 INAUGURALIS  
 DE  
 FRACTÆ  
 DOMESTICÆ  
 PRIMIS  
 DE  
 SVCHA  
 NORVM,  
 V A M  
 entia Annuente,  
 Autoritate  
 AMPLISSIMI ORDINIS  
 VSULTORUM  
 ENTORATENSIVM  
 RSITATE  
 CENTIA  
 ure Honores & Privilegia  
 toralia  
 onsequendi  
 , M DCC XXVII.  
 MINANDAM PROPONIT  
 OBUS BECHTOLD  
 ORATENSIS.  
 NTORATI,  
 PIESCKERI, Univerf. Typogr



25.